



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Prosæ Tomus ...**

**Conti, Giovanni Battista**

**Rom, 1704**

Prosa I. Divinus Magister pedes Discipulorum lavat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

9  
PROSA PRIMA.

*Divinus Magister pedes Discipulorum  
lavat.*

ORATIO.



Immanem divinorum  
cruciatuum seriem,  
crucisque, & mor-  
tis laborem vulgò fe-  
runt, Tragœdiæ spe-  
ciem præbuisse, Au-  
ditores sapientissimi.

Hac in tragœdia solemne pluribus est  
exitum ipsum, actusque supremi horri-  
bilia ostenta attonitis animis contem-  
plari; tum quippe, sicut Evangelica  
narrant historia, Sol extincto Condito-  
ri adornaturus funus funebri tenebra-  
rum horrore cycladem suæ lucis cohi-  
buit, orbique terrarum pullam superin-  
duit meridianæ noctis vestem: tellus  
clandestino boatu in querimoniam argu-  
mentum immugit, illius commota  
tormentis, & cæde, cujus apprehendente  
dextera jugiter libratur immobilis. Pa-  
tuerunt monumenta disiectis vectibus,  
& repagulis, atque vita quondam fun-

A 5 ctos

ctos an luci, an tenebris reddiderunt? Ad hæc, templi velum duas discessit in partes; & saxa diffiluerunt quamdam præferentia imitationem sensus, ac doloris. Talibus plerique prodigiis admirationem debere se suam rati hunc velut ad peractam tragædiam ejulatum, & cōsternationem naturæ tacito pectore meditantur. Verùm tragædiæ tam lacrymabilis primam veluti frontem, atque exordium ipsum exponere opportunius mihi accidit in præsentia. Vos rem ipsam Auditores per me vobis breviter exponendam accipite.

Affertor salutis humanæ Deus dum ad dolorum mare amarulentum sitiendi charitate festinat, aquæ proludit in pelui, & liquido divinæ demissionis exemplo suorum se Discipulorum pedibus subiicit subiiciendus mox inter laqueos, & vincula, hostium pedibus, & calcibus gladiatorum. Procedit in medium linteo præcinctus, & exceptam pollubro aquam comportans elementorum molitor: tum verò Discipulis per subsellia in longum dispositis abluere pedes aggreditur explicans ad servile ministerium manus ma-

je.

jestatis, omnipotentiaëque ditissimas .  
Quisquis Deum miraris, cum à principio circumfusam rerum universitati aquarum licentiam in fatiscentes cavernas imperioso nutu coegit, & in littorali pulvere æstuosis fluctibus claustra limitesque descripsit; jam in aquæ vasculo laborantem mirare, ac prodigialitèr servientem. Quisquis Deum suspicis superborum cervicibus imminentem per ultricium flammaram terrores, & exitia; suspice jam provolutum in genua, & abluendis, tergendisque pedibus piscatorum dejectum. Conspicemur omnes pariter miremurque Auditores Discipulorum turbam tam sublimitèr decoratam; & supremi Regum Regis, & dominantium Domini dejectionem humili ministerio, mysterioque non humili profundissimam. Memoriae proditum est, Trajanum Principem tanto dignatum honore milites suos, qui honestis in acie periculis peritus interitum offerebant, ut iisdem vulneratis, & glorioso cruore manantibus ipsemet suæ purpuræ frustulis vulnerum fomenta pararet, & posita sceptri dignitate suam ipse dexteram ad

vilem curationem demitteret. Hanc Romani Principis demissionem tam honorifica clementia militibus suis medentis extulit in cælum usq; ventosa assentatorum inanitas. At quid Trajanus ad divini Reparatoris altitudinem, per quem Reges regnant, & legum conditores justa decernunt? Ipse tamen altissime Regum rector, nostreque libertatis vindex sanctissime ipse, & clementius Trajano Asseclas tuos condecoras, & Trajano descendis inferiùs: ille siquidem abjecit sese ad suorum militum vulnera, hoc est, ad militaris erga ducem amoris argumenta apertissima; tu ad proditoris quoque pedes te projicias ejus pedibus aquam affundens, qui interim latronum more adversùs te fraudem coquit, proditorem anhelat, atque horrendum fitit parricidium. Usque adeo secundum humani generis sanguinem, nummos videlicet perditissimus transfuga concupiscit, ut ad eum sibi comparandum venundare divinum Sanguinem non horrescat. Et homini huic perditissimo benignissimus Præceptor officiosum adhibet lavacri munus æternæ charita-

anc ritatis instinctu. En admiranda volun-  
am tariæ humilitatis prodigia. En ad amo-  
ne ris divini miraculum humana impietas  
af. contumax. En odii contra amorem tan-  
aja- tum tam contumaciter obnitentis por-  
m, tentum atrocissimum. Si charitas ignis  
im est, jam igne simul, & aqua in rigidum  
ta. Judæ pectus invadit Deus; neutro ta-  
re- men extundit quidpiam elemento,  
e quando obstructum perstat lapideum  
os pectus, & ferreum, & ut Satanæ in-  
in- troeunti pervium, sic impervium Serva-  
to- tori. Cognoscite, quæso, quam duresce-  
ni- re humana præcordia valeant, ubi adi-  
ta- tum mali demonis instigationi præbue-  
ue- runt, nec tempestivo rationis imperio  
af- femina præfocarunt subnascentium vi-  
re- tiorum. Auri amor immodicus, quo pri-  
io- mum afficiebatur Judas, ejus demum vi-  
tic- sceribus ferri tantum immiscuit, ut du-  
m- rescens oppidò pectus omnia spicula Dei  
os amantis eluderet, omnia frustraret of-  
u- ficia, atque insano Judæorum furori  
m- Christum venalem exponeret.

on Sed libet divini amoris consilium ad  
no proditoris emolliendam asperitatem  
m susceptum iterum, atque iterum in  
na- mysticæ hujus aquæ pelvi respicere.

Jam

Jam igitur si grave non est, rationem pro re præsentī universam vos quæso, mecum sic ducite. Quamvis princeps planetarum Sol dum cæli curriculum emetitur, omnes pænè recessus terrarum pervadat effusa radiorum suorum munificentia; tamen aliquot laquearia domorum, ac fornices suæ lucis aspectu lustrare nequaquam potest: quam potissimum arte divitem, ac nobilem habitatorem usurum putamus, si quo fortè desiderio tangitur immittendi solis in laqueatas illas tectorum suorum divitias radio solis incognitas? In promptu planè est novisse quid agendum, aut meminisse, quid agatur. Argenteum, vel testaceum pollubrum oppletum aqua in apertioris aulæ pavimèto ad solis prospectum statuitur: tum continuò sol rectà procedentibus radiis oppositam undam everberat: indè tanquam in frigidum illum humorè offendisse solem ipsum pæniteat, è vestigio instar furentis, ac penè debacchātis resultat ipse, volucresque lucis suæ sagittas aliò, atque aliò per fastigia summæ domus contorquet. Rem Latini Vatis ingenio ad vivum expressam aspici-

*Si.*

nem  
elo,  
ceps  
lum  
rra.  
um  
aria  
spe.  
ta  
lem  
quo  
fo.  
um  
n  
en.  
ur.  
um  
avi.  
um  
diis  
an.  
en.  
in.  
sul.  
tas  
do.  
in.  
e .

*Sicut aquæ tremulæ labris ubi lumē abenis  
Sole repercussū, aut radiantis imagine lunę  
Omnia pervolitat latè loca, jamq; sub auras  
Erigitur, summique ferit laquearia tecti:  
Ita sanè æternus justitiæ sol Christus  
suæ & luce, & calore charitatis, Judę  
permeare pectus sæpe sæpiùs contendit;  
at adeo omnem animi sui meatum præ-  
cluserat hortator ille scelerum, ac teter-  
rimus author perfidiæ, ut divinæ cha-  
ritatis lucem, & calorem omnem quàm  
longissimè propulsaret. Quid proindè  
reliquum superesse videbitur ad piæ ex-  
pugnationis molimen? Aquæ peluim  
assumit incorporatus Deus, Judæ pedes  
locutus appropere, ut qui olim animus  
infuscatus à principe tenebrarum nul-  
lum celi radium admiserat, ex illa sal-  
tem pelui aliquod bonitatis æternæ lu-  
men veluti reflexum suscipiat. Sed om-  
nis in irritum cadit industria, officium  
omne benignitatis despicitur, omne  
amoris divini consilium, atque artifi-  
cium omne respuitur. Ex eo quòd ad  
Judæ pedes te Christe demiseris, tru-  
culentissimus illè, ac dementissimus  
te tantùm contemnere didicit, & pedi-  
bus ad triste facinus festinantibus con-  
cul-*



culcare. Proh impietas, proh sævitia, proh auri fames tartarea, quæ sic excæcat, atq; evertit, atque de apostolico culmine in tartarum agit Apostolum!

Nè plura: Jam à nefarii hujus latronis intuitu ad feliciorum spectaculi partem intendendus est animus: intelligamus, quid agitet ad Dei famulantis aspectum Apostolici agmen senatus; quamente, quibusnam verbis tantæ rei accipiat novitatem. Adit Petrum in eam fervitii speciem dejectus Christus Dominus; petit, ut pedes porrigat, suis nempe manibus eluendos. Ad præsentem Domini voluntatem in fra decus divinitatis longè rem illam arbitratus esse hæsitare fervus cæpit protinus, & admirari, mox abnuere & resistere, & totis animi sensibus exhorrere. Testatus demum fidenter est, passurum se nunquam, ut suos ad pedes tantum Numen tam ignobili munere fatigaretur. Sic divinus Præceptor dum alterius discipuli fraude ad mortem proditur, cum imprudenti alterius obsequio opus habet decertare: adeo nimirum placendi Deo insolens est, atque inscia natura mortalium, ut vel reverentia, cultu-  
que

que ipso abutatur interdum, atque extra rem, & locum importunè obsequendo displiceat. Reluctantem Petrum exterrens Christus evicit: nisi laverò (inquit) non habebis partem mecum. Minas audistis, quæ quidem terrorem incuterent: at quantum ibi submissionis, quantum pietatis eluceat, nunc videte. Mitissimus Dei filius, qui semper propemodum quod moratus in terris est, suarum pompam divitiarum, divinitatisque suæ thesauros ac jura suppresserat, jam ultrò se dominum Petro, jam se nostræ fœlicitatis authorem, jam se largitorem ostendit. Scilicèt qui servi cooperans amiculo, & nostræ mortalitatis angustiis potestatis amplitudinem tuæ, æternamque opulentiam, vultu, sermone, incessu, universique corporis habitu compescebat, ubi humillimum sibi opus attrectanti obstare discipulū sentit intempestivo divinitatis pavore correptum, suorum illi bonorum recordationem ingerit, eadem bona obtemperāti animo præmium fore significans, secus non obtemperanti. Minaci illa significatione pro eo ac debuit commotus Apostolus Præcepto.

ptori suo & pedes, & manus, & caput etiam liberaliter obtulit, quod si modò collibuisse, ablueret: Ut sanè ex hoc Petri, & Præceptoris certamine innotuit nobis, nullum erga Deum velle nos posse convenientius obsequium, quam dum nutibus ejus occurrimus celeri docilitate, nihilq; nos gratum ei magis, nihil honorarium magis præstituros, quàm dum nobis placitum ejus placuerit!

Verumtamen heu dolor, heu lacrymæ: ex ea, quam Petrus commeruit, reprehensione quiddam animo luctuosum, atque lugendum objicitur: si cum submittere se Deus vellet, quia eam Dei voluntatem noluit Petrus, displicuit, perque minas absterritus est; qualiter agi nobiscum credemus, si cum se Deus minimè velit submissi, ipsi tamen submissum eum voluerimus per innumeras flagitiorum nostrorum fæditates!

Porro ad extremum ex felici discipulorum turba qui superant, meam sibi orationem simul cum Petro & ipsi vendicant. Num eloqui majus quidpiam, aut mirabilius possim? Ad omnium stupentium, non tamen reuentionum

tium

tium pedes infimo illo munere Magister, ac dominus omnium singillatim defungitur. Enimvero fortunatissimi Piscatores, quorum sic pedes consecrauit dexteræ omnipotentis attactus! Si nihil vobis aliud præterea divini liberalitas Præceptoris conferret, sat tamen abunde vobis dignitatis suppeteret ad orbis terrarum obsequia demerenda. Novimus Auditores, magnum Chrysofostomum tot tantisque votis, tanto pietatis ardore illas exoptasse, illasque, cum exosculari re ipsa non posset, toto animo toties exosculatum catenas fuisse, quibus olim in carceris Neroniani squalore Apostolici Collegii Principes tenebantur; ut si quando in ferrum illud auro videlicet pretiosius incideret, si quando in ea indueretur adoranda supplicia, omnem libertatis amorem, quem ipsa infundente natura, vel à pueris adbibimus, captivus feliciter ablegaret. Unde nam tanta sapientissimi Antistitis erga ferrum illud cupiditas? Unde tantus exarserat erga vincula illa votorum ignis? In expedito causam habemus: quia Apostolicis quondam pedibus ea innexa fuere tormenta,  
ubi

ubi eos tetigerunt, invisum posuere nomen, & in vota populorum, ac Principum evasere. Si itaque tam venerabile ferrum est, tam pia votorum & sapientia, & impatientia quæsitum, quia Apostolicos contigit pedes; quantum & ipsis tribuendum pedibus videatur, quos attigit, atque abluit Christus?

Divinus Vates Divini Numinis magnificentiam, quòd suæ bonitatis ingenio humanis pedibus omnia subjecerit, luculenter in psalmo dilaudat. Jam verò pristinis hisce laudibus quanta supervenit accessio, dum suorum pedibus sectatorum se ipse Deus, & dominus rerum universarum subjecit! stupeant quicumque velint, stupeant, exornent, & ad seræ posteritatis memoriam illustriori laudatione trajiciant magnanimos veterum cætus Christianorum, quòd beatissimis Apostolis, tantum observantiæ exhiberent, ut ad eorum pedes divitias suas, suasque fortunas velut impedimenta, & sarcinas splendidi contemptores abjicerent: quibus abjectis magis in procinctu starent ad pugnam contra nequitas, & potestates tartareas committendam. Quam-

vis

vis equidem vel omnium patrimonia regnorum ad Apostolicos pedes devoluta intuerer, nihil omnia putaverim, quandò omnium authorem, ac regem ad eosdem pedes antea prostratum intueor. Ubi gentium id unquam spectaculi factum? Quis unquam è tam sublimi tam in ima devenit? O præclaram vel in sordibus Majestatem! ò summum vel in infimis Deum? Omninò nobis cum Deo piè contendendum Auditores. Ad humanos ille pedes, hoc est, ad novissimum locum subsidit: à nobis contrà ad altiorem amoris & honoris sedem, ad nostrum cor evocetur: idque nos illi opportunè, ex Evangelii sui parabola reponamus: *amice ascende superius*. Suum omnia locum teneant ò nostri generis procreator, & liberator amantissime. Subter nobis terrestria, & mortalia cuncta; ipse noster amor, nostra verè felicitas, nostro locandus in corde es. Sicut hic magnus maximè cohæret, dum suis omnia locis continet mundus, ita & parvus (quem ajunt, hominem esse) mundus pulchrè sibi constabit, dum in illo suis quæque locis constiterint; nimirum

rum nostro Deus in corde, nostris sub  
pedibus tellus.

PROSA SECUNDA.

*De Christi Domini Cruciatibus.*

ORATIO

*Habita in Sacello Pontificio ad  
Innocentium XI.*



Oriente vita natura, tu  
hæc rerum universa, ele  
atque hæc spectabilis ter  
mundi elegãtia suum eru  
illud rudimentum ve. ho  
tus, ac promiscuam per  
abyssi faciẽ propè de. cer  
fiderant, Pater Beatissime, quando solis rit.  
decor meridianus, intempestivo pallore tiæ  
intercipitur; rupes ac silices se velut dæ  
membratim discerpunt, diversa; jacu. æqu  
lantur in partes; reduces animæ, & calẽ. vat  
res iterum cineres perruptis monumen. De  
tis divortia mortis, vitæque confundunt; sup  
elementa omnia quasi longevæ nimis sit,  
inter se fidei, ac desidiosæ fæderis piget. imr  
Utrum nam, occasum natura sum id. len  
cir.